

ergo nec effectus ejus impediatur, etiamsi nondum sit factus, sed potius sustinendus erit, ne prior gratia pereat, tanquam annexus illi, seu tanquam accessorium sub principali. Antecedens probatur, quia quando alicui mandatur provideri de beneficio, eo ipso datur aliquod jus providendo, non in re, sed ad rem: nam licet sit valde remotum, aliquod profecto est, vel certe licet appelletur licentia ut provideatur cum praelatione ad alios, talis licentia, vel jus, magnus favor est: et ille non est faciendus, sed factus, ut per se constat: ergo datur ibi gratia facta, et consequenter non peritura juxta nostram regulam: non potest autem permanere nisi in delegato maneat potestas, ut per se notum est: ergo. Confirmatur, quia ille cui tunc conceditur facultas conferendi, vel dispensandi, videtur quasi executor gratiæ alteri jam factæ: ergo debet permanere ratione illius, tanquam accessorium sub principali, argumento capit. *Si super gratia*, de Offic. deleg., cum his quæ ibi notantur, et a Gabriel., supra, numero tertio.

12. *Confirmatur exemplis.* — Confirmatur et declaratur exemplis: unum est de licentia eligendi confessorem, quæ non expirat morte concedentis, ut dixi, solum quia est quidam favor factus pœnitenti, etiamsi detur propter effectum, qui nondum est comparatus; imo ne illud privilegium seu licentia pereat, sustinetur potestas confessoris electi, et validitas absolutionis ab eo collatæ. Cur ergo non idem dicitur in altero privilegio? Vel cur in eo non respicitur ad licentiam, vel jus statim concessum, sed ad effectum nondum factum, ut dicatur gratia nondum facta, sed facienda? Et urgetur hoc exemplum; nam, licet facultas directe daretur sacerdoti determinato ad absolvendum Petrum, vel dispensandum cum illo, non expirabit re integra per mortem concedentis, non solum si detur in favorem sacerdotis, quod omnes fere fatentur, sed etiamsi tantum sit in favorem pœnitentis; tum quia in tali materia major et durabilior esse debet favor pœnitentis quam sacerdotis; tum etiam quia in re in idem redit, quod potestas detur sacerdoti circa pœnitentem, vel quod detur pœnitenti licentia ad eligendum confessorem; sed data hoc modo durat, etiamsi principaliter detur in favorem pœnitentis; ergo et data priori modo. Quid enim ad rem moralem hoc interest? Neque enim considerari in præsentî potest, quod licentia ad eli-

gendum confessorem est indefinita ex parte confessoris, licentia vero data confessori directe jam determinet personam: hoc enim nihil videtur referre, tum quia determinatio personæ, a conferente potestatem facta, videtur magis intenta, et præsumitur magis prudens, et ideo ex hac parte facultas erit magis durabilis: tum quia licet pœnitentis licentia sit ut tali confessori confiteri possit, non expirabit, re integra, quia est privilegium illi jam factum, non minus quam licentia eligendi indefinite.

13. *Declaratur dubium ex opinione probabili.* — *Responsio aliquorum.* — *Impugnatur primo.* — *Secundo.* — Præterea multi probabiliter defendunt, ordinaria rescripta, per quæ committitur discreto confessori facultas dispensandi cum Titio, verbi gratia, in tali voto, vel impedimento, etc., non expirare, re integra, morte concedentis, ut videri potest late in Sancio supra, num 87; et tamen illa est gratia nondum facta quoad effectum intentum; tamen, quia est facta quoad licentiam seu facultatem, censetur permanere: ergo idem in omni simili. Respondent aliqui illam facultatem dispensandi non relinqui in arbitrio delegati, sed necessario esse ab illo dispensandum eo ipso quod rescriptum acceptat, si inveniat preces veritate niti, et ideo illam non esse tantum licentiam dispensandi, sed esse virtualem dispensationem; et ideo sicut dispensatio non retractatur per mortem concedentis, ita nec illam facultatem extinguat. Sed hoc non videtur satisfacere, primo, quia considerando statum rescripti antequam acceptetur, vel aperiatur, nullam necessitatem ponit, sed meram facultatem concedit. Secundo, et præcipue, quia necessitas illa quæ imponitur delegato, videtur potius obstare durationi gratiæ; nam transit in mandatum, et commune proloquium est, mandatum cessare per mortem mandantis, re integra, juxta dictum c. *Gratum*, et c. *Relatum*, et l. *Et quia*, ff. de Jurisd. omn. judic., et l. *Mandatum*, c. *Mandati*; ergo si facultas dispensandi data sacerdoti, in favorem tantum dispensandi, durat, quia fuit præcepta, etiam durabit data sine præcepto, quia minus habet mandati, et plus favoris respectu delegati, quandoquidem usus ponitur in ejus arbitrio, et non cogitur. Et profecto difficile creditur est, quod licentia data a superiori cuidam subdito sacerdoti ad audiendam confessionem Petri, in favorem solius Petri, et sine præcepto imposito sacerdoti, ut talem

confessionem audiat, cesset, re integra, per mortem concedentis, et tamen quod eadem facultas data eidem sacerdoti in favorem ejusdem pœnitentis, et cum præcepto, non expiret, re integra, cum alias sit vulgare principium, præceptum ab homine, quod non est per modum statuti, cessare mortuo præcipiente.

14. *Circa hoc duplex modus dicendi.* — Hæc argumenta petunt ut explicemus, quando gratia censenda sit jam facta, et quando tantum faciendam, in quo explicando non est facile generalem regulam præscribere; nam est etiam difficile discrimen constituere inter multos casus, de quibus ferri solet diversum judicium, cum tamen videantur omnino similes: unde cogitari possent duo modi dicendi extreme diversi. Unus est, omnem licentiam vel facultatem, aut quaecumque privilegium, seu rescriptum gratiæ concessum uni, in ordine ad effectum gratiæ consequendum ab alio cui potestas conferendi vel dispensandi delegatur, censi gratiam statim factam ex vi privilegii, ante quemcumque usum ejus, si materia gratiæ sit spiritualis, pertinens principaliter ad bonum animæ ejus propter quem conceditur, assequendum per usum jurisdictionis voluntariæ, quæ sine strepitu judicii illi operari potest, ideoque talem facultatem non expirare per mortem concedentis, etiamsi res sit integra: secus vero esse in aliis facultatibus extra hujusmodi materiam concessis. Nam jura quæ de similibus privilegiis judicant tanquam de gratis non concessis, et ideo cessare in simili casu statuunt, loquuntur vel in materia ambigua, qualis est materia beneficalis, de qua est sermo in dicto cap. *Si cui nulla*, et c. *Si super gratia*; nam illa materia semper est odiosa, et restricti juris. Vel loquuntur in materia fori contentiosi, ad quam reducuntur externi contractus, et negotia humana, de qua loquuntur dictum c. *Gratum*, et cap. *Relatum*, et aliæ leges, quæ dicunt, mandatum expirare morte mandantis, re existente integra.

15. *Modus probabilis.* — Atque hic modus dicendi videtur fieri probabilis, tum quia juxta illam facile componuntur omnes difficultates positæ, et communia jura, quæ in hac materia loquuntur, commode explicantur; tum etiam quia utrumque membrum est per se probabile; nam primum favet animæ et religioni, et in illa materia verisimile est Pontifices non minus velle favere iis pro quibus gratiæ conceduntur, quam iis quibus conce-

duntur; secundum autem est satis expressum in jure et restringit ambitiones, et fraudes, ac lites: tum denique quia omnia exempla in contrarium objecta pertinent ad primum membrum, et fere omnia admittuntur communiter, licet propter alias rationes, quod parum refert. Solumque illud de licentia data confessori in favorem pœnitentis a multis negatur, ut videre licet in Sanc., supra, n. 83; sed profecto rationes a nobis factæ videntur contrarium efficaciter suadere, et non carere auctoribus. Nam Feder., Sylv., Angel., et alii qui id admittunt in facultate dispensandi cum tali, idem dicerent in potestate absolvendi sacramentaliter; et cum indistincte loquantur, non oportet restringere illam sententiam ad privilegium datum principaliter in favorem delegati: præsertim quia, ut dixi, quando persona designatur, regulariter, et ex vi formæ censetur dari in favorem ejus, sive facultas sit ad dispensandum, sive ad absolvendum. Nec etiam est cur id limitetur ad facultatem datam cum præcepto exercendi actum, vel sine illo, quia hæc differentia a paucis doctoribus consideratur, nec jure probatur, et parum interest, ut ostensum est, præsertim in negotio confessionis. Et ita, re tota attente considerata, nihil ex illo membro sequitur, quod singulare sit, vel novum, vel alicui juri repugnans, quia jura in aliis materiis loquuntur, ut dixi.

16. *Secundum membrum quid probat.* — Secundum autem membrum habet fundamentum non in sola rei natura, nec tantum in conjecturata mente concedentis, sed in jure positivo ita disponente. Et ideo non procedunt contraria exempla, quia nec materia, nec dispositio jurium est similis; nec etiam procedunt rationes, quia cum hæc res pendeat ex jure, rationes non possunt esse efficaces. Nam illa licentia, vel quaecumque jus quod videtur resultare in providendo, ex facultate vel mandato alteri dato ad providendum illum, in jure non reputatur ut aliquid factum, sed ut existens in fieri; et ideo, sicut supra dicebamus jurisdictionem delegatam in foro contentioso non firmari, re integra, ex dispositione juris, ita dicendum est de illa licentia, vel quacumque jure in illis materiis: et ita facile conciliantur et expediuntur omnia. Et hunc modum dicendi ego libenter amplecterer; quia vero illum non invenio sub hac forma ab auctoribus assertum, aliis considerandum relinquo.

17. *Secundus modus dicendi.* — Alter ergo

modus dicendi esse potest, ut regula hæc universalis sit in omnibus materiis, quod facultas alicui data ad exercendum effectum gratiosum circa alium, si sit facta tantum in gratiam personæ designatæ, cui talis effectus est conferendus, dum res est integra, non censetur gratia facta, sed faciendæ; et fundamentum esse debet, quia quædam jura ita statuunt; et licet in determinatis materiis loquantur, non videntur niti in ratione specialitatis materiæ, sed in forma et modo concessionis, ut Glossæ et doctores interpretantur. Et ita admittendum non est quod in quadam objectione dicebatur, in his rescriptis delegatum esse executorem gratiæ alteri concessæ, sed dicendum est delegatum esse executorem gratiæ alteri concedendæ; nam antequam ille utatur suo munere, saltem inchoative, non censetur gratia facta, ex juriurum dispositione. Ad exempla autem in contrarium adducta responderi posset negando omnia in quibus regula illa proprie non servatur, etiamsi maxime versentur circa materiam spirituales, vel concernentem illam, et omnino favorabilem, ac pertinentem ad jurisdictionem voluntariam, et sive potestas delegata detur directe sacerdoti dispensaturo, sive detur per licentiam directe concessam ipsi dispensando, vel absolvendo. Hæc autem responsio est nimis rigorosa, et valde contraria praxi, et favori animarum; et ideo illam non censeo admittendam.

18. *Distinctio notanda ad declarationem doctrinæ traditæ.*—Quocirca melius fit distinctio inter facultatem hanc directe datam delegato in favorem tertii, et datam directe ipsi pœnitenti, ut eligat confessorem, vel quid simile: nam per priorem non censetur fieri ulla gratia illi tertio, sed solum parari viam ad illam obtinendam, et creari causam, ut sic dicam, per quam fiat, et ideo donec illa causa aliquid operetur circa illum tertium, non censeatur gratiam ullam factam illi tertio, neque esse in illo factum aliquid, quod in ipso permanere possit, si re integra concedens moriatur. Nam illud jus, vel licentia, quod in objectione principali consideratur, non reputatur ut aliquid in illo existens, sed vel est sola permissio, ut alius possit circa illum operari, vel est quasi denominatio extrinseca resultans ex potestate alteri concessa, quæ denominatio non potest durare, deficiente illa potestate, nec potestas illa firmari potest ex illa denominatione, cum ab illa potius resultat. Potestas autem ipsa sic concessa, etiamsi jam sit morali-

ter in eo cui directe conceditur, non censetur privilegium ejus, et ideo per se non firmatur sine aliquo usu, quia reputatur mandatum, et non gratia. Et idem censeo quoad hanc partem, in rescriptis dispensationum quæ secum afferunt obligationem dispensandi, quia ibi non habet locum ratio vel natura privilegii respectu delegati, sed potius ratio mandati.

19. *Alter pars distinctionis declaratur.—Differentia inter duos modos prædictos.—Dubium incidens.*—At vero quando rescriptum directe concedit facultatem aliquam, vel licentiam subdito, licet usus ejus pendeat ex alio operante circa ipsum, ut est in licentia eligendi confessorem, vel confitendi tali Sacerdoti designato a concedente, et in litteris dimissoriis ad suscipiendos ordines a quocumque vel a tali Episcopo, et in similibus, tunc talis licentia est verum privilegium, et gratia revera est jam facta quoad suam immediatam concessionem, et ideo etiamsi moriatur concedens, re existente integra, non perit, sed in eo etiam servatur regula principalis a nobis posita, ut in aliis locis, quæ citavi, in particulari dixi. Et declarari nunc potest, quia similes licentiæ et privilegia data ad actus qui non pendent ex actione alterius tertii circa privilegium, ut sunt licentia non jejunandi, laborandi in die festo, celebrandi in privato oratorio, audiendi sacrum tempore interdicti, et similia, non cessant per mortem concedentis, etiam re integra, ut est fere communis consensus; ergo idem erit, etiamsi actus concessus consistat in recipiendo aliquid ab alio, quia eodem modo est jam facta gratia, et non tantum faciendæ, cum sub eadem forma detur licentia: unde in illo habere potest locum, quod supra dicebatur, scilicet, illum tertium esse quasi executorem gratiæ alteri jam factæ, et ideo firmari ratione illius, etiamsi res sit integra, argumento *c. Si super gratia*, de Offic. delegati, in 6, et regulæ generalis, quod accessorium sequitur principale. Et ita constituitur facile differentia inter hunc modum et præcedentem, quia, in hoc, gratia quæ fit privilegario, non est solus effectus futurus, neque est sola permissio vel denominatio a potestate alteri concessa, sed est vera concessio alicujus immunitatis, vel moralis potestatis, ut satis explicatum est. Neque videtur necessarium ad singula quæ ibi inculcantur specialim respondere. Solum potest in particulari inquiri an in judicio confessionis admittenda etiam sit illa differentia inter facultatem datam pœnitenti ad assumendum talem confes-

sorem, vel datam confessori ad audiendum talem penitentem in solum favorem ipsius pœnitentis. Multi enim ita sentire videntur, quia hæc est generalis juris dispositio, quæ non cessat in illa materia particulari, licet fortasse cesset negative ratio ejus, quod est probabile; mihi tamen contrarium magis probatur, ut in materia de pœnitentia dixi, quia illud iudicium magis est gratiæ quam justitiæ, et ita jurisdictio, in illo foro concessa, per regulam gratiæ potius quam justitiæ metienda est.

20. *Quæ requiruntur ut privilegium permaneat post mortem concedentis.—Instrumentum scriptum et bullatum an confert privilegium.*—Adhuc vero superest in alio sensu explicandum quæ requirantur ex parte privilegii, ut censeatur plene concessum, et firmatum ad permanendum post mortem concedentis. In quo primo peti potest an oporteat esse scriptum; nam si non solum sit concessum, sed etiam authentice scriptum, et a privilegario acceptatum, eo ipso habet illam firmitatem, quia jam est plene concessum in actu primo, ut sic dicam, et nullus actus secundus, seu usus est necessarius: et ita in hoc omnes auctores citati concordant. Difficultas vero est, an præter concessionem concedentis, verbis saltem expressam sufficienter (nam hoc saltem indubitanter necessarium est), requirantur aliæ duæ conditiones. Et primo, est dubium de instrumento scripto, et bullato, seu authentico. Sed hoc dubium definiendum est juxta supra dicta de necessitate scripturæ ad substantiam vel valorem privilegii; nam supponendo scripturam non esse necessariam ad esse, sed ad probationem, dicendum est privilegium solo verbo concessum, et nondum in scriptis redactum, non amitti per mortem concedentis ex solo illo defectu, quia jam est firmum et validum ex ea parte, et ita in illo procedit regula posita. Tradit Sylvester, verb. *Gratia*, quæst. 2, cum Joanne Andr. et Archid. in Proleg., libr. 6; et alios plures refert Sancius dicto libr. 8, disputation. 29; et Navarr. de Reddit. eccles., q. 3, monit. 8, cum Felin., in rubr. de Constitutione.

21. *Aliud dubium de acceptatione privilegarii.—Conclusio.*—Privilegium quomodo revocabile.—Aliud dubium est an requiratur acceptatio privilegarii, et consequenter an privilegium nondum acceptatum a privilegario, neque per se, neque per alium, expiret morte concedentis: videtur enim expirare, quia nondum est factum, sed est in fieri,

nondum enim est receptum in persona privilegarii, quia expectatur consensus ejus, regulariter loquendo, juxta superius dicta. Nihilominus dicendum est tale privilegium non extingui ipso facto morte concedentis, sed manere in eodem statu in quo ante erat, ut possit acceptari ab eo cui est concessum, et ita consummari, et prodesse illi. Hæc fuit sententia Lapi, Dominici, Franci, et Portii, quos refert et sequitur Sancius, libr. 8 de Matrim., disput. 28, num. 43 et 69. Fundamentum est, quia privilegium illud, ex parte principis, fuit perfecte concessum, et in morte non est revocatum per expressam voluntatem concedentis, ut supponimus; ergo in illo privilegio servanda est regula gratiarum, quæ non expirant morte concedentis, quia in ea magis attenditur absoluta voluntas concedentis, quam acceptatio alterius. Accedit quod in aliis donationibus similis regula servatur, juxta probabiliorum sententiam, de qua videri potest Molin., l. 4 de Primogen., c. 2, n. 77; et Covar. de Testam. in rubr., 3 p., n. 43; et Sanc., l. 1 de Sponsal., disp. 6, n. 5. Dixi autem illud privilegium permanere in eodem statu in quo antea erat, quia non confert novum jus privilegario, sed solum ad hoc perseverat ex vi voluntatis defuncti, ut possit ab illo acceptari; unde fit ut, sicut antea erat revocabile a concedente ante acceptationem, argumento l. *Nec ambigi*, c. de Donat., ita postea possit revocari a successore concedentis antequam sit acceptatum; nam eandem omnino et æque plenam potestatem habet, quia non succedit tanquam hæres ex voluntate defuncti, sed succedit, ex nova electione vel provisione, in integra dignitate ac potestate.

CAPUT XXXII.

QUANDO, RATIONE FORMÆ CONCESSIONIS, DURATIO PRIVILEGII LIMITETUR AD VITAM CONCESSIONIS.

1. *Quomodo ratione formæ cessat privilegium.*—In regula superiori capite posita limitationem addidimus, videlicet, privilegium non amitti per mortem concedentis, nisi forma id exigat; propter hanc ergo partem explicandam præsens caput proponimus. In quo unum est clarum, scilicet, hoc maxime habere locum, si expresse concedens dixerit, *Quandiu vivero*, vel quid simile, quia non potest esse clarior forma. Tunc au-